Cæsaraugustana Cathedralitatis.

Reu. Pater. Supposita facti narratione, non solum excessus litterarum Executorialium, verùm iniustitia vltimarum decisionum includentium actualem, & modernam Cathedralitatem, ac Ius Metropoliticum præ oculis habetur quod suadetur ex sequentibus.

Primò quia in commissione tantum fuit compræhensa causa super antiqua Cathedralitate excludendo modernam, & actualem, vt ex lectura ipsius *Summ. nu.* 1. ibi *dicta eorum Ecclesia* (loquendo de Pilarensi) *fuerit Cathedralis prius quam dicta Ecclesia Sancti Saluatoris, & quod per amissionem status Cathedralis non amiserit suas pratensas antelationes*, ponderando verbum *fuerit*, quod denotat tempus præteritum, & verbum *prius*, quod dicit durationem illius temporis, excluditque inspecta verborum significatione, tempus, in quo Ecclesia Sancti Saluatoris reperitur in statu Cathedralitatis, & Verbum *per amissionem* tollit omnem difficultatem, quod dicit Iuris Cathedratici extinctionem in Ecclesia Beatæ Mariæ.

Hoc idem confirmatur ex articulis ab Aduersarijs exhibitis anno 1625. ibi *qualiter Ecclesia de Pilari fuit ædificata à D. Iacobo, & tunc cæpit esse Cathedralis, & continuauit esse Cathedralis non solum tempore Gothorum, & in obsidione Ciuitatis, verum etiam vsque ad annum* 1117. *qua Hispania, è manibus Maurorũ redempta fuit, & latius nu.* 11. particula enim *vsq; ad annum* 1117. dicit huius temporis inclusionem *Natt. cons.*461. *per tot. refert Mart. claus.*77. *ante nu.*6. subsequentis verò exclusionẽ *cap. non ne de præsumpt. l. cum Prætor ff. de iudic.* habemus igitur partis aduersæ expræssissimam confessionem iudicialem, quam omnibus probationibus superiorem iura clamitant *l. vnic. co. de confess. l. cum te co. de transact. Caualer. decis.* 1. *num.*98.

His consonant testes ab Aduersarijs examinati qui deponunt, quod Ecclesia Pilarensis *fuit antiquitus* Cathedralis, sed addunt quod anno 1118. Cathedra fuit translata ad Ecclesiam nostram, & quod deinde Ecclesia Aduersaria statũ cathedraticum amisit, & remansit in statu Collegiatæ licet cum retentione plurium prærogatiuarum *num.* 35. Testis plenè contra producentem probat *Crauett. cons.*100. *nu.*13. *Menoch. cons.*60. *num.*18. *tom.*1.

Secundò, quia ius antiquæ Cathedralitatis fuit deductum ad colorandam prætensionem præcedendi in synodo Diæcesana, vt ex commissione *num.* 1. sicque ad illam restringendum ex regula, quod genus limitatur, & coarctatur ad species per quas cõtrahitur *cap. generi de regulis iur. in 6. cap. dudum cap. quamuis de præben. in 6.*

Hoc clarè corroboratur ex dubio, quod propositum fuit disputandum *decis.*353. *par.* 5. *rec.* ibi: *An constet Ecclesiam de Pilari fuisse antiquitus Cathedralem in casu, & ad effectum de quo agitur*, intratq; regula quod limitata Causa, limitatum producit effectum *l. in agris cum vulgatis de adqui. rer. domin.* Sicque ius antiquæ Cathedralitatis solum potest colorare prætensionem Iuris præcedendi, & antelationes prætensas de quibus in commissione.

Tertiò, quia resolutio capta fuit ex septem adminiculis, & coniecturis *d. decis.*353. signum euidens, quod solum controuersus fuit status antiquę Cathedralitatis percutiens tempus precedens Cæsaraugustę recuperationem, & omninò excludens subsequens cum supposito translationis, ex gratia legatur restrictum decisionis datum *num.* 10.

Quartò id ipsum deducitur expressissimè ex sentẽtia lata in hac Causa *Summario*

 d. num.

d. num. 2. ibi: *Ecclesiam de Pilari fuisse antiquitus Cathedralem, & in ea primam Sedem Episcopalem extitisse.* Confirmata deinde coram Vbaldo in secunda Instantia sine vllo prorsus additamento *d. num.* 3. igitur actualis, & moderna Cathedralitas non censetur in sententia comprehensa, cum verba sententiæ non operetur plusquam quod de necessitate vis verborum patitur *l. si quis §. si vel parens ff. de liber. agnosc.* Rot. *in rec. decis.* 332. *num.* 5. *par.* 1. & merito quia stricti iuris sunt *Rot. in rec. decis.* 440. *num.* 5. *par.* 1. Imò quando essent compræhensiua, vt remoueretur iniustitia (vt in presenti casu) deberent restringi etiam illa impropriando *Rot. in rec. decis.* 319. *num.* 10. *par.* 1.

Quintò, quia Causa commissa in tertia Instantia coram Motmano, Rota denegauit, nostræ Ecclesiæ remissoriam in qua modernam ipsius Ecclesiæ Cathedtalitas, & Aduersarij subiectio post Cæsaraugustæ recuperationem indubitata articulabatur ad excluden. alterius Ecclesiæ antiquam Cathedralitatem *in dicta decis.* 353. firmatam, eo quod articulatum non percutiebat tempus antiquissimæ alterius Ecclesię Cathedralitatis ad cuius exclusionem tendebant articuli *decis.* 142. *p.* 6. *rec.* quod deinde fuit confirmatum *decis.* 177. *eadem par.* 6. *rec.* Vnde sententia in hac causa lata sic intellecta conuenit cum commissione, libello, & probatis *l. vt fundus ff. com. diuid. glos. in cap. dudum de decim. Seraph. decis.* 136. *num.* 8. *& decis.* 738. *num.* 5. cum sententia, libellus, & acta à pari procedant *Ludouis. decis.* 535. *num.* 9. *Rot. in rec. decis.* 271. *num.* 2. *par.* 1.

Nec est alicuius momēti si replicetur quod commissio habet clausulam *quàm, & quas*, & sententia clausulam *rebusq; alijs*, tum quia tàm in commissione quàm in sententia subsequitur dictio *desuper præstitas* vel *super præmissis*, quæ ad expressa, & præcedentia referuntur *Ruin. cons.* 18. *num.* 12. *vol.* 2. Tum & etiam, quia huiusmodi clausulæ quoad non deducta, nec producta non operantur cum super eis non dicatur lis contestata *Gabr. cons.* 47. *num.* 22. *lib.* 1. Alias enim esset tollere Reo defensionem, quod est omninò absurdum *Rot. diuers. decis.* 259. *num.* 2. *& 6. par.* 1.

Sextò, ex testimonio eiusdē Tribunalis Rotæ *post Posth. de manut. decis.* 658. *nu.* 4. *& in recollectis à Rubeo decis.* 3. *par.* 5. *num.* 16. in quibus verbis præcisis stabilitur, quod nulla est controuersia non obstante remissoria super antiqua Pilarensium Cathedralitate, quod hodie Ecclesia Sancti Saluatoris sit sola Cathedralis.

Non solum ex allegatis moderna Cathedralitas respiciēs tempus subsequens Cæsaraugustæ recuperationem à Maurorum tyrannide non fuit in lite deducta, sed etiam incontrouertibilis redditur in Ecclesia S. Saluatoris tam ex donatione facta ab Imperatore Alphonso de Ecclesia B. Mariæ de Pilari Ecclesię S. Saluatoris *Summ. num.* 13. confirmata à pluribus Pont. *num.* 14. quorum confirmationes cum tenorem donationis contineant, tanquam ex certa scientia, & in forma specifica factæ in vim nouarum concessionum ad minus substinentur, *communiter DD. in cap.* 1. *de confirmat. vtil. vel. inut. Valenzuel. cons.* 79. *num.* 6. *cum seq.* Ex constitutionibus Petri Libranæ primi ipsius Ciuitatis Episcopi *num.* 15. ex Bulla Gelasij, ac litteris eiusdem Petri Libranæ *num.* 16. Ex erectione Aduersariæ Ecclesiæ de Anno 1141. à Bernardo Episcopo in Collegiatam, tam ex Bulla Innocentij 2. confirmatoria erectionis *num.* 17. quàm ex Hystoricis *nu.* 18. cum huiusmodi Bullæ Apostolicæ efficiant probationem probatam & rem manifestam, *Bald. in l. quoties in vltimis verbis C. de iudic. & in l. interest C. de solut.* quæ non indiget fori disceptatione, idem *Bald. in l. Imperator col.* 2. *ff. de stat. hom.* quam etiam quia Aduersarij ab inde citra in omnibus

nibus actibus, tam iudicialibus, quam extraiudicialibus eorum Ecclesiam Collegiatam nominarunt *num.* 19. ac etiã ab alijs, & præcipuè à Sacra Rota pro tali habita *nu.*20. nec responsio bo. me. Bichij in secunda decisione quidquam facit, cùm omninò opponatur verbis expressis præfatæ erectionis, quæ semper est de inferiori ad superiorem statum.

Deinde supradictum incontrouertibilitatis fundamentum incrementum recipit ex antiquissimis transactionibus,& sententijs arbitramentalibus inter vtrumq; Capitulum emanatis prima de Anno 1220. Summ. *num.* 21. secunda de Anno 1141. *num.*22. tertia de Anno 1448. Summ. *num.*23. in quibus plura stabiliuntur in fauorem Ecclesiæ S. Saluatoris, eo quod Cathedralis est Cæsaraugustanæ Diæcesis, & quarta de Anno 1513. Solemnissime ab vtroq; Capitulo emologata omninò videnda Summ. *num.* 24. in qua condemnatur Ecclesia Pilarensis recognoscere Ecclesiam Sancti Saluatoris, in matrem superiorem,& Magistram eidemq; honorem & reuerentiam, prout de iure tenetur, & obligatur præstare, & transigens repellitur ab agendo ex scriptura transactionis, nam transactionis exceptio dicitur litis finitæ, & impedit processum ad vlteriora *l fratris l. non minorem C. de transact. l. eleganter §. si quis post ff. de condit. indeb. cap.*1. *de lit. contest. in 6. Rolan. à Vall. cons.*28.*num.*14.*&* 15. *lib.*4. dicens quod adeo dicitur litis finitæ transactionis exceptio, vt nec rescripto Principis infringi valeat *l. Causas C. de transact. decis. Pedemont.*91.*num.*7. Vt de decisis per transactionem lis non oriatur *l. terminato C. de fructib. & lit. expens. l. si quis* 11. *C. de reb. credit.* Quod magis certum redditur animaduerso quod transactio, & res iudicata eumdem habent effectum, & à Iure æquiparantur *l. non minorem C. de transact. Gramm. decis.*66. *num.* 20. nam vt dixit *Cassiodor. lib.* 1. *var. epist.* 5. *in immensum trahi non decet finita litigia, vnus enim inter procellas humanas portus instructus est, quem si homines feruida voluntate prætereunt in vndosis iurgijs semper errabunt, qua enim dabitur discordantibus pax, si nec legitimis sententijs aquiescetur,*& sic vt esset obseruanda legitima sententia transacta in rem iudicatam ita etiam, & transactio *Rolan. à Vall. d. cons.*28. *num.*5. *& seq.*

Replicat vltima decisio Reuerendiss. Decani super declaratoria quod huiusmodi transactiones, seù sententiæ sunt mere personales, tanquam carentes beneplacito apostolico, & nullæ quia Ecclesia Pilarensis est immediatè subiecta Sedi Apostolicæ; sed facile remouetur obiectum; Tum quia pugnat cum omnibus decisionibus antecedentibus in quibus fuerunt approbatæ, & pro aduersarijs deductę *d. decis.*353. *& secũda decis. bo. me. Bichij ex aduerso dãda,*& quia præfatarum transactionum obseruantia, ac omnium in illis dispositorum continuata probatur ex Testibus per Aduersarios examinatis Summario *num.* 25. & sic Aduersarij allegantes esse nullas, & personales detegunt suam contrarietatem, & cõmodum ex iniustis sententijs reportasse ob quod non sunt audiendi *l. transactione finita C. de transact. l. cum profitearis. C. de reuoc. donat. l mercalem C. de condict. ob turpem caus. l. si dos C. de his quæ in fraud. Rol. à Vall. cons.*24. *num.*72. *lib.*1. Tum quia ex lapsu tot sæculorum beneplacitum Apostolicum, & omnes solemnitates requisitæ præsumuntur *ad text. in l. filius vbi probatur C. de petit. hæred. l. secundum de verb. oblig.* etiam in contractu cum Ecclesia facto & rerum Ecclesiasticarum alienatione, *cap. peruenit iuncta gloss. de censib. Butr. in cap. ea nescitur de his quæ fiunt à prela. sine cons. capit.* & in specie transactionis est consil. Anchar. 136. *incipit ex consilijs Excellentissimorum virorum vers. prætereà dictum Monasterium*, vbi præsupponens quod in quodam instrumento transactionis à monialibus factæ non apparebat solem-

nitatem ad transigendum requisitam interuenisse super Immobilibus bonis resoluit illam ex temporis antiquitate præsumendam cum potuerit in alio instrumento interuenisse *Alex. cons. 79. num. 4. & 5. lib. 1.* aliàs enim esset reuangare mundum si omnia in antiquis ex integro cognoscẽda essent *Surd. cons. 359. num. 22.* Tum & etiam quia quamuis non interuenisset beneplacitũ Apostolicum adhuc fuissent legitimæ trãsactiones, & sententiæ arbitramentales præfatæ nam quamuis sit prohibita Ecclesia alienare *tot. tit. de reb. Eccles. non alien. cap. sine exceptione 12. quæst. 2.* tamen potest transigere relinquendo rem possidenti *l. nulli cum glos. ff. de transact. Abb. cons. 57. & 63. vol. 1.* & per transactionem non dicitur res aquiri nouo titulo *l. si pro fundo vbi Alciat. & Padill. num. 10 C. de transact.* Et nostram Ecclesian fuisse in possessione omnium compræhensorum in transactionibus ex ipsarum, & documentorum in facto latè congestorum in spectione faciliter depræhenditur.

Deindè pro indubitata Cathedralitate vnica in nostra Ecclesia adducitur, tum erectio in Metropolim à Ioanne 22. de Anno 1318. *num 26.* facta nomine appellatiuo Ecclesiæ Cæsaraugustanæ effectuata in Ecclesia S. Saluatoris, vt ex antiquissima Aduersariæ Ecclesiæ constitutione *nu. 27.* ex Bulla vnionis beneficiorũ San. me. Leonis X. per Aduersarios expedita *nu. 28* Ex Testiuũ depositionibus, *nu. 29.* Tùm plenissima exẽptio aducrsariȩ Ecclesiæ à iurisdictione, & superioritate ordinarij, vt in Bullis *nu 30.* & responsio quod exemptio cõcernat institutum regulare euanescit ex lectura ipsarum bullarum ibi: *Tum in concernentibus regularem obseruantiam, tum in alijs*, ac etiam ex articulis per Aduersarios datis *num. 31.* cum sententia Rotali subsecuta *num. 32.* cui consonat *Valenz. cons. 43. num. 48.* & firmauit *Rot. rec. par. 6. decis. 43. 157. 204. & 245.* Tùm & etiam sæcularizatio Ecclesiȩ Cæsaraugustanæ, quæ licet nomine indefinito facta *nu. 33.* tamẽ in nostro Capit. cernitur executa. Et deniq; adducuntur testes ab Aduersarijs examinati attestantes suã Ecclesiam à Cæsaraugustæ recuperatione à Maurorũ tyrannide cathedrã amisisse, & remãsisse in statu Collegiatæ *nu. 35.* Ecclesiam autem nostram semper fuisse denominatã Ecclesiam Cæsaraugustanam, ac Metropolim, tùm à Sede Apostolica in Bullis *num. 36.* Tùm à Sac. Rot. in sententijs, & decisionibus *num. 20.* Tùm demum ab ipsis Aduersarijs *num. 37.* Corroboratur hoc ipsum ex relationibus Archiepiscoporum transmissis ad Sac. Congregationem Concilij occasione visitationis Sacr. liminum, facientibus specificam, & indiuiduam mentionem de statu, & qualitatibus vtriusque Ecclesiæ nostram tanquam Cathedralem, & Metropolim referendo, & Aduersariam tanquã Collegiatam, & regularem, & omninò à Iurisdictione Ordinarij exemptam *num. 38. lit. A.* quibus vniformis est Epistola sinodi *num. 39.* & ex processibus Cõsistorialiter factis in prouisionibus Ecclesiæ Cæsaraugustan. in quibus solum fit mentio de nostra Ecclesia *num. 40.* quod nostrã solũ sit Cathedralis, & Metropolis, Aduersaria autem Collegiata ab immemorabili deponunt Testes *nu. 41.* ex quibus omnibus incontrouertibile redditur, quod Ecclesia nostra sit à recuperata Cæsaraugusta sola Ecclesia Cathedralis Cæsaraugustæ.

Vltimo Iniustitia vltimarum decisionum includentium modernam post Cæsaraugustæ recuperationem Cathedralitatem deducitur ex eo, quod S. me. Vrbanus VIII. de Anno 1635. ad instantiam Serenissimi Regis Cattholici huiusmodi Causam Congregationi particulari Cardinalium commisit, vt ex memoriali cum rescripto in calce *num. 4* ratione cuius commissionis, & auocationis causæ cessauit cognitio, & iurisdictio Sacræ Rotæ (si aliqualem respectu modernæ Cathedralitatis habuisset) tanquam iudicum inferiorum *l. iudicium*

solui-

soluitur ff. de iudic. *cap. vt nostrum de appellat. & cap. si eo tempore de elect. in 6 Rot. decis. 33. num. 2. de test. in antiquis, & decis. 4. de test. in nou.* nam vti dedit Pontifex iurisdictionem auferre potuit etiam absque Partium citatione. *Felin. in capit. cum olim numer. 6. de rescript.* Nam in potestate Principis est non solum iurisdictionem, sui Magistratus moderare *leg. 2. ff. de origin. iur.* Sed ipsam pro libito reuocare *leg. meminisse ff. de offic. Procons. &* leg. Thom. Gram. *vot. 28. num. 21. & sequen. Innoc. in cap. intimasti num. 1. de appell.* est celebris resolutio *Roman. cons. 335. incipit circa primum num. 9.* asserens, quod ex quo Papa ad se euocauit prouisionem, vel aliis delegauit, ad inferiorem non reuertitur sine licentia Papæ, *cap. bonæ 2. de postul. Præl. in 6. vers. nec nocebat,* & nullum est, quod fit ab inferiore, vt per *Anchar. cons. 53. Ann. alleg. 99.* & videtur comprobari ex casu *l. planè in princ. ff. de leg. 1. l. licet transferam l. legatum in fin ff. de adimen. legat. l. cum in secundo ff. de iniust. rupt. l. militis §. fin. ff. de test. milit.* in quibus est expressum quod & si Testator legatum factum primo legatario adimat, & illud leget secundo alteri nulliter tamen propter incapacitatem secundi legatarij vel alias nihilominus ademptio legati facta primo, valet; nec, ipsum legatum reintegratur, & ita in nostro casu licet euocatio facta à summo Pontifice mediante rescripto committendo particulari Congregationi causam non fuerit prosecuta nihilominus tamen Sac. Rota non habuit Iurisdictionis amissæ per auocationem reintegrationem.

His enim indubitatis fundamentis, ac alijs in facto late congestis non obstantibus debet Ecclesia S. Saluatoris recognoscere Ecclesiam B. Mariæ in actualem Cathedralem cum omnibus honoribus, Iuribus præheminentijs, ac prærogatiuis quomodolibet Ecclesiæ Cæsaraustanæ debitis, & debendis, ac competentibus, & concessis cum effectu, prout indicant litteræ Executoriales?

Iura igitur prouenientia ex vnione facta à Greg. XIII. de Cappellania maiori Ecclesiæ *Cæsaraugustanæ* ex priuilegio concesso à Iulio III. & ex vnione ab eodem facta de Ecclesijs de Cubla, & Baldeclocha, & ex vnione facta à Iulio II. de Sacristia eiusdem Ecclesiæ, & ex alijs prope infinitis vnionibus suppressionibus, & dismembrationibus factis a diuersis Summis Pontificibus Ecclesiæ Cæsaraugustanæ nomine hoc appellatiuo effectuatis priuatiuè in Ecclesia Sancti Saluatoris *Sum. num. 56.* quæ tanquam vnica, & sola Cathedralis Cæsaraugustanæ Diœcesis, & vnica, & sola post erectionem in Metropolim totius Prouinciæ Cæsarauganæ Metropolis ab omnibus his temporibus habita fuit, vt luculenter ex latè adductis in facto deducitur sunt Ecclesiæ B. Mariæ de Pilar communicanda?

Supradicta omnia elargita Ecclesiæ Sancti Saluatoris, vt numerositas Cleri ad diuini Cultus splendorem in ea aleretur, & vt moles, & fabrica tam sumptuosi Templi in Saluatoris honorem, & reuerentiam erecti conferuaretur, sunt contra voluntatem disponentium Pilarensibus tribuenda? Actus enim humani nō operantur contra agentium intentionem *l. non omnis vbi DD. ff. si cert. pet. l. obligationum substantia ff. de act. et obligation. l. fin. C. ne vxor pro marito l. 1. § hoc interdicto ff. de itiner. actuque priuat. Valenz. plures referens cons. 9. numer. 23. & 24.*

Deinde iura ex innumeris Regum Hispaniarum donationibus, & priuilegiis liberaliter Ecclesiæ Cathedrali Cæsaraugustanæ, siue post eius erectionem in Metropolim Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Metropolitanæ elargita, effectuata omnia, cum hac communi, & indubitata opinione in Ecclesia S. Saluatoris, & deseruientia ad ipsius pulcherrimam, & admirabilem in statu in quo reperitur Cō-

posi-

positionem sunt Pilarensibus cum destructione Ecclesiæ Saluatoris participanda? & sine præuia, & legitima horum iurium in particulari discussione, & præmissa legitima defensione, debet Ecclesia Sancti Saluatoris ipsis priuari? Contrarium firmant Iura naturalia, & positiua *cap. Deus omnipotens cap. nos in quemquam 2.q.1. vbi communiter DD.*

Tot fundationes piæ à Prælatis, Dignitatibus, & Canonicis ipsius Ecclesiæ, & alijs Christifidelibus factæ tam per cōtractus inter viuos, quam per vltimas voluntates in Ecclesia Cæsaraugustana, siue in Ecclesia Cathedrali Cæsaraugustana, siue in Ecclesia de la Seo, aut post erectionem in Metropolim in Metropolitana, quæ omnia sunt executa in Ecclesia S. Saluatoris, contra voluntatem disponentium sunt Pilarensibus tribuenda? Contrarium suadet vltimarum voluntatum securitas *l.* 1. C. *de Sacrosanct. Eccles. l.* in *Conditionibus ff. de condit. & demonstr.*

Et tandem iura Ecclesiæ S. Saluatoris quæsita ex immemorabili præscriptione, quæ habet vim legis *l.1.§.fin.l.2 ff.de aqu.pluu. arcen.* Priuilegii *cap. super quibusdam de verb.signif.* Potioris tituli *cap.1.de præscript.in 6.* & concessionis à Principe factæ cum iusta causa *Valenz.consf.93.num.39.* & est quasi alterum ius naturale, quod immutari non potest *Molin.de Hispan.Primog.lib.2. cap.2. num.20. & 21.* hęc omnia sunt Ecclesiæ B. Mariæ de Columna elargienda? & sine legitima horum Iurium discussione, ac sine præuia naturali defensione debet Saluatoris Basilica ipsis priuari? ac Ecclesia B. Mariæ contra intentionem præscribentium ipsis frui? Vbi constitutionum Apostolicarum, tot dismembrationum; vnionum, & suppressionum diuersorum Pontificum, ac erectionis in Metropolim securitas? Vbi tot priuilegiorum, ac donationum Regum Hispaniarum firmitas? Vbi vltimarum Morientium voluntatum stabilitas? vbi præscriptionis Immemorabilis Immutabilitas? Vbi tot sententiarum arbitramentalium, & transactionum auctoritas, & inuiolabilitas? Vbi tot Testimoniis firmata lucis veritatis claritas?

Hæc autem partis aduersæ prætensio faciliter elidetur declarando, quod virtute sententiarum Rotalium, ac ratione executorialium Ecclesia S. Saluatoris non turbetur in Cathedralitate Moderna, ac actuali iure Metropolitico, nec in aliis Iuribus, præheminentiis, & prærogatiuis, ipsi priuatiuè competentibus ex sententiis, transactionibus, priuilegiis præscriptionibus legitimis etiam immemorabilibus, ac ex alijs titulis particularibus, de quibus specialiter actū non est, & quod Ecclesia Aduersaria, gaudeat tituloantiquæ Cathedralitatis, cum titulo actualis collegialitatis, in quo à recuperata fere Cæsaraugusta reperitur, cum omnibus Iuribus, & pręrogatiuis ipsi ex præfatis sententijs, ac transactionibus, ac quibuslibet aliis titulis particularibus spectantibus tanquam vestigijs antiquæ Cathedralitatis.

Neque ex eo, quod per aliquorum actuum particularium retentionem conseruatur ius Cathedraticum (quando sine violatione iustitiæ modernum, & actuale conseruaretur) vt in hac causa firmauit Rota *coram bon. mem. Bichio 6. Martij 1656.* sequitur, quod debeat habere retentionem reliquorum actuum particularium ad alium pertinentium, vel ratione transactionis, sententiæ, aut legitimæ præscriptionis; stante iuris principio, quod eiusdem iuris in particulari dominium in solidum penes duos esse non potest *l.prout certo §.si duobus Vehiculum ff. comodat.* & alio iuri naturali, & diuino conformi, quod non debet quis sine legitima causæ cognitione suo iure priuari.

Confirmatur nam licet in acquisitione possessionis alicuius iuris vniuersalis, cum in

in hoc inspiciatur magis intentio, & voluntas, quam factum, & exercitium, sufficiat alicuius iuris particularis sub vniuersali comprahensi possessionis acquisitionem, vt omnium iurium particularium sub vniuersali comprehensorum censeatur acquisita *Posth.de manut.obseru.73.num.140.& decis.166.nu.16.& 17. Ludouis.decis.557.* tamen hæc doctrina limitatur quoties alter est in contraria talium iurium particularium possessione *Posth.d.obser.73. num. 171. Put.decis.301.num.1.lib.2.Rot.diuers.decis.865.num.4.p.4.Seraph. decis. 18. nu. 3.& decis.561.num.1.Grat.cap.113.num.2.& cap.425. num.46.* quæ limitatio fundatur in illo Iuris principio, quod eiusdem iuris in solidum possessio penes duos esse nō potest *l.3.§.ex cōtrario ff.de acquir.poss.* Vnde possessionis iuris vniuersalis acquisitio, ac eiusdem iuris vniuersalis dominij adiudicatio ratione iuris particularis sub eo comprahensi operabitur acquisitionem possessionis, ac respectiuè adiudicationem dominii omnium Iurium sub ipso comprahensorū, si possessio non fuerit ab alio occupata, & dominium non fuerit ab alio ex vi sententiæ, transactionis, præscriptionis, aut alterius particularis tituli acquisitum, dictantibus Iuribus, naturali, & positiuo ne quis propria possessione, aut iure, sine legitima causæ cognitiōne priuetur.

Posita hac doctrina certa, & indubitata, intrant duæ firmissimæ iuris regulæ. Prima est, quod Genus coarctatur, & limitatur ad speciem per quam contrahitur *l.quod in rerum 24.§.si quis post ff.de leg. 1.l.cohæredi §.qui patrem ff. de vulg.l. vxorem §.felicissimo ff.de legat.3.l.quæsitum §.fin.ff.de fund.instruct.* Secunda, quod Generi per speciem derogatur *cap.generi de reg.iur.in 6.cap.dudum, cap. quamuis de præben.in 6.* Vnde quamuis genus in sua vniuersalitate potens sit comprehendere inspecta sui natura omnes species sub tali genere comprahensas. Tamen si aliquæ sint impossibiles, quia in alium translatæ, tunc vniuersalitas generis coarctatur, & limitatur ad species per quas contrahitur, & reliquæ species in alium translatæ ratione tituli particularis derogant vniuersalitatem generis sub quo inspecta generis natura debebant esse comprahensæ.

Huiusmodi regulæ, fortius vrgent in sententiis, quæ cum sint stricti iuris sunt strictissimè interpratandæ *l.si iudex vbi DD.ff.de his qui sunt sui, vel alien. iur. l. 1.C.si plures vna sent.cap.dilect.de offic.ordin.cap.fin.de caus. poss. & propriet.* & solum quod necessario ex illis infertur probant, ac continent, non autem, quod contingenter, & accidentaliter *Alex cons.49.num.1.lib.7.ex l.si Iudex de his qui sunt sui, vel alien.iur.l.2.C.de ordin.cogn.l.1,C.de ordin. iudic.* Vnde sententia lata in iure Cathedratico ad fauorem Ecclesiæ B. Mariæ de Columna virtute comprahensiua, solum continebit antiquam Cathedrlitatem, & iura particularia in processu causæ deducta, & virtute attractiua solum contingenter consecutiua, quæ non sint ab Ecclesia S. Saluatoris aliquo particulari titulo priuatiuè acquisita; cum aliud sine Iuris diuini, & naturalis violatione constitui non possit.

Neque ad rem facit (quando sine veritatis exclusione huiusmodi Ecclesiæ fuissent in iure Cathedratico vnitæ) quod omne possessum, & acquisitum ab Eccl esia S. Saluatoris, censetur acquisitum, & possessum ab Ecclesia Beatæ Mariæ tanquam Concathedrali, quia per præsentationes Compatroni ius patronatus alterius Compatroni conseruatur, nam hæc doctrina limitatur, quoties Compatronus præsentationes facit, tanquam sibi priuatiuè ad alios competentes. Tunc enim non conseruatur ius alterius compatroni, imo destruitur vi quadragenariæ præscriptionis *Rota decis.229.num.1.& d.407.num. 1. p. 1. diuers. Duran.decis.125.num.6.Em.Card.Ottobon.decis.26.num.23. & decis. 151. nu. 13.* Ergo pariformiter ius Cathedralitatis modernæ temporis subsequentis Cæsareu-

saraugustę recuperationem, ac omnia iura sub iure Cathedratico comprehensa (dato fine veritatis sequestratione, & non concesso, quod hoc fuisset in Ecclesia Pilarensi conseruatum) quę tantum sunt contingenter, vel accidentaliter consecutiua, potuerunt præscribi ab Ecclesia S. Saluatoris in pręiudicium Ecclesiæ B. Mariæ del Pilar, cum etiam possint ab alio præscribi vel alio titulo particulari obtineri, vt de administratione Iurisdictionis sede vacante, & de gubernio totius Diœcesis est pũctualis decis. Rot. quam refert *Posth. post tract. de manut. decis.* 194. quæ est decisiua præfati assumpti.

Quod Ecclesia S. Saluatoris sola fuerit Cathedralis a restaurata Cæsaraugusta; quod ei solum obuenerit ius Metropoliticum; quod sola exercuerit iurisdictionem sede vacante, tam in Diœcesi, quam in Prouincia Cęsaraugustana; quod sola habuerit alia iura particularia plura indicata in facto latissime deducitur ex dictis, & congestis in eo ita vt res sit sine dubitatione, & possim dicere cum *Cassiodor. lib. 9. epis.* 13. *ad examen veniant, quæ putantur incerta. Nam quis de illa re estimet deliberandum, vbi nil reputatur ambiguum?* pronunciandum igitur speramus nostræ Ecclesiæ priuatiuè competere ius Cathedralitatis modernę, & actualis á restaurata Cæsaraugusta á Maurorum Tyrannide, & similiter ius Metropoliticum ab eius erectione in Metropolim cum omnibus alijs iuribus ipsi ex pręfatis sententijs, transactionibus, constitutionibus Apostolicis, priuilegijs, ac aliis titulis particularibus conseruato illæso, Ecclesiæ Aduersariæ, iure Collegialitatis, in quo fere á prędicto tempore hucusque fuit, & similiter iuribus, pręheminentiis, & prerogatiuis, illi ex præfatis sententiis transactionibus vel aliis titulis particularibus ipsi cõpetentibus, ac concessis tãquam Vestigijs illius primæuę, & antiquę Cathedralitatis diffinitæ cum hoc ęqualitas Iustitię exigat, & sit proprium Sanctissimi Principis ea quę ab antecessoribus vtiliter statuta fuerunt, non infringere, sed roborare *cap. loci* 35. *q.* 9. *cap. si ea* 25. *q.* 2. ac conforme voto Catholici Regis Hispaniarum *Summnum. final.*

Quare &c.

Ioannes Vaguer Canonicus Doctoralis.

ROMAE, Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ.
M. DC. LXI.

Superiorum permissu.